

Joachim Schönermarck

**Programma, Quo Rector Academiae Rostochiensis Joachimus Schonermarch,
I.D. & Prof. P. ad exequias, Quas ... Vir, Dn. Bernhardus Clingius, Reipubl.
Rostochiensis Senator ... filiolo suo suavissimo Joan-Wilhelmo Clingio
adornatas cupit; Omnes omnium almae Universitatis cives peramanter &
officiose invitat**

Rostochi[i]: Pedanus, 1625


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74740500X>


Druck Freier  Zugang



Schonermarch, J.,
in J. W. Clinge.

R. 1625.





6

Programma,

Quo

RECTOR

ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS

JOACHIMUS SCHONERMARCH,

J. D. & Prof. P.

ad exequias;

Quas

Prudentissimus & Amplissimus Vir,

DN. BERNHARDUS

CLINGIUS,

Reipubl. Rostochienlis Senator & me-
ritissimus & bene adhuc merens, filiolo suo

suavissimo

JOAN-WILHELMO

CLINGIO

adornatas cupit;

*Omnes omnium almae hujus Universitatis cives peraman-
ter & officiosè invitat.*



ROSTOCHI

Typis Joachimi Pedani, Anno 1625.

12.

Programma

REGTOR

JOACHIMUS SCHONERMARCK

L. D. & P. R. T.

ad exequias

DAVID RUDUS



JOAN WILHELM

CLINIO

Typis Joachimi Schoni Anno 1707

RECTOR
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS,
JOACHIMUS
SCHONERMARCH,
J.D. & P.P.



Citum est & tritum, illud
Poeta, cum inquit:

Dum pascis ventrem, dum mi-
tia vina refugis:

Dum gratus sopor est, dum mol-
liter ipse quiescis:

Nuncius ecce fores pulsat, medi-
cumq; requirit,

Accelerare jubet: Jam properate venire. *Hac ille.*

Qua quidem conditio tolerabilior & equiore animo
ferenda videri posset, si ea tantum accideret his, qui
vivendo aliquandoq; jam processerunt. Verum &
his contingere, qui lac maternum adhuc sugunt, &
ab uberibus adhuc pendent, qui vix hanc lucem aspe-
xerunt, & quidem ita contingere, ut mors conse-
quatur: id ratio nostra ab iniquitate non abesse ju-
dicat: & quidem stultè: Cujus stultitiæ per ipsam
rationem condemnari ratio nostra potest. An non
enim bello per aliquam provinciam grassante omnes,
quotquot in ea sunt, in eodem periculo versantur?

A 2

Cum

Cum navem scopulosa saxa confringunt, nonne
navigantibus naufragium sine exceptione commu-
ne est? Flatu verò sterili terra jejuna existens,
neminem fames separat. Pari modo morbi &
mors communia sunt omnibus, quamdiu à singulis
portatur in seculo isto caro communis: ut impium
sit, in communi sorte aliquem velle singulari fortu-
na quadam uti. A qua impietate nos cum cete-
ra funera, tum praesens hoc merito vocare debet.
Desijt enim in vobis esse mellitissimus puellus J. O-
AN-WILHELMUS CLINGIUS, in-
fans vix trimestris. Natus is est in hac incluta
urbe, die Aprilis praeterlapsi quarto, parentibus &
majoribus splendidissimis, Patre, viro prudentissi-
mo literatissimo & spectatissimo, Dn. BERN-
HARDO CLINGIO, Senatore Reip. apud nos
urbicae amplissimo, amico nostro colendo, ordinis no-
stri amantissimo: Matre SOPHIA ELISABE-
THA Steinbrings / femina lectissima, matro-
nalia virtutum splendore conspicua. Avum
habuit Paternum, virum Consultissimum & Cla-
rissimum, Dn. BARTHOLOMÆUM CLIN-
CIUM, Jurisconsultum excellentissimum, Consi-
liarium Megapolitanum, & hujus Academiae per
quingenta annos Professore, ejusdeq; Anteces-
sorem celeberrimum, & praeclare meritum: Mater-
num autem virum amplissimum & prudentissimum
Dn.


DN. HEINRICUM STEINBRINGIUM,
Illustriſſimi & Celiſſimi Brunſvicenſium
& Lunaburgenſium Ducis ſupremum per multos
annos caſtrorum ad Hercyniam ſylvam præfectum
laudatiſſimum. Aviam utramq; matronas à pieta-
te & virtute commendatiſſimas, Paternam, **MAR-**
GARETAM KRONIAM, viri ampliſſimi & ſpectatiſſi-
mi, **DN. JOACHIMI KRONII** Senatoris, cum alijs no-
minibus, tum inprimis legationibus, quas publici cõ-
modi cauſa feliciter obiit, benè meriti, & honeſtiſ-
ſimæ matronæ **AGNETÆ SMEDES** filiam, & am-
pliſſimorum quondam hujus Reip. virorum **BERN-**
HARDI KRONII Conſulis, & **M. LAURENTII SME-**
DES Senatoris neptem, **HENRICIq; KRONII** Conſulis
itidem olim ampliſſimi & **BALTHASARIS SMEDES,** ci-
vis hujus urbis primarij proneptem: Aviam autem
maternam **ANNAM LIPPIAM,** feminam eximiam, ex-
egregia & præclara **LIPPIANORUM** familia oriundã.
His tantis majoribus natus elegantiffimus puellus
JOAN-WILHELMUS CLINGIUS dignus videbatur, qui
multos annos viveret. Verum, ut flos tenellus pol-
lice raptus avaro ſtaccet, ſic hæc roſa, hic tenellus
puſio vi mortis, nocte, quæ præcedit 23. diem Junij, h.
2. abreptus, ex his regionibus, ubi vita erat in exilio,
via in periculo, ſinis in dubio, Deo, cujus voluntas
eſt ſanctiſſima, ſic volente, & imperante, translatus
eſt, non ſupra ſeptem arces Planetarum, ſed cælorum


cœlos, ubi, ut cum Divo Augustino loquamur, dolor non sentitur, gemitus non auditur, malum non timetur, summum bonum possidetur. O permutacionem, ipsi quidem infantulo p. d. JOAN-WILHELMO CLINGIO jucundam, parentibus autem ipsius, quorū cordibus vulnus morte filiolæ AGNETÆ CLINGIÆ inflictam, nec dum planè sanatum, jam refricatur; longè læctuosissimum: qui dulce hoc pignus suum amissum oculis avidis atq; udis querentur & quærent! Sed tamen si in abdita mentis penetralia, ubi habitant cogitationes masculæ & Christianæ à Spiritu S. accensæ, recesserint: n. venient non modo nō dolendum sed etiam letandum sibi esse de Filioli obitu. Doleant & eternū doleāt, pectora q; palmis plangāt illi, qui aut Gelloni; quæ quōdam virgo quædam fuisse perhibetur; immatura morte hinc abrepta; expensam puellorū mortem tulerunt; aut qui spectro cuidam; Liliū appellant Judæi; inopinatam liberorum abitionem imputant. Nobis longè aliam formavit & firmavit sententiam vera religio: infantes nempe nostros per Baptismum Christo insertos, purissimam & optimam partem generis humani & innocentia, quantulacūq; adhuc inter homines reliqua est, præcipuum specimen ac Ecclesiæ Christi florem esse: de quibus infantibus & viventibus & morientibus consolatio summa est, quam ipse Filius Dei, oriens ex alto, Angelus magni consilii,


lii, ex sinu Patris aeterni patefactam tradidit: Non
est voluntas Patris vestri coelestis, ut pereat unus de parvulis
istis: Et hos partem regni sui Filius Dei affirmat,
sinite parvulos ad me venire: talium enim (qui ad
me Christum per piam precationem Et baptismum
afferuntur) est regnum caelorum. Fuit autem hic
Filiolus verè ex numero infantium Et lactentium
parvulorum Christo oblatorum. Quare quid est,
quod, Parentes optimi Et maestissimi, vos maceretis?
Est quidem inhumanum, nihil interitu liberorum
moveri, est inhumanum, est Cyclopicum: Et divini-
tus insita pectoribus ^{scilicet} in parentibus honestis ma-
gnum dolorem Et acre desiderium in morte natorum
cient: non tamen imitandi sunt ij, quos eleganter
Plutarchus undiq; dolendi occasionem captare asse-
rit: sed illud Jobi: Dominus dedit, Dominus abstu-
lit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen
Domini benedictum. Cogitabit is: filiolum hunc ve-
strum non mortuum esse ante diem: siquidem vel
nullus ascriptus erat dies, vel praescriptus, in quem
abeuntem celeriter secutus, exspectantem assecutus
est: nec fortuito abiisse, sed ejus clementia, cujus san-
guine ab omni peccato mundatus fuit, in regnum coe-
leste elevatum, in cena illa magna assiduum Et ac-
cubatum esse convivam: adeoq; exturbis in quietem,
ex miseria n̄ valle in omnibus bonis perpetuo circū-
fluentem Paradisum evedum. Quid n. aliud hoc


tem-

tempore in mundo, quàm intus pugna, foris omne ge-
nus calamitates? Cum avaritia, cum impudicitia,
cum ira, cum ambitione, cum alijs animi pestibus, cū
carnalibus vitijs, cum illecebris secularibus nobis est
assidua & molesta congressio atq; luctatio: ut tacea-
mus bella horrida, exilia, direptiones & exustiones
urbium, tot hominum cædes: quibus malis rotatur
nunc mundus, quibus alij pro dolor penè immersi
jacent: alij vicini, nisi Deus Zebaoth averterit, &
ab ijs non procul videntur abesse. His tantis malis e-
reptus est p. d. infantulus noster JOAN - WILHELMUS
CLINGIUS. Cui cum hodie h. i. in templo Mariano
funus futurum sit: rogamus & monemus omnes &
singulos nostræ hujus Academia civēs, ut fragilitatis
sue memores ad illius deductionem, eo, quo diximus
tempore & loco, frequentes convenire non gra ven-
tur. Afficiamur ^{supra ad eia} in nostrorum & publicis
calamitatibus, & mitigari eas, cum alijs, tum inter
exequias eundem, serio petamus: doleamus etiam in-
luctu honestorum & clarissimorum hominum, &
preceamur Deum, ut pias & prestantes familias ser-
vet, Germaniæ nostræ pacem restituat, Serenissimos
nostros Principes, Dominos nostros clementissimos,
& amplissimum Senatū, Academiam hanc no-
stram, nosq; omnes & singulos florentes & incolu-
mes, pro sua infinita bonitate & sapientia, ad glo-
riam sacrosanctæ Trinitatis, quàm clementissimè
conservet. P. P. Rostochij sub Sigillo Rectoratus
nostri, die 25. Junii.









lii, ex sinu Patris aeterni patefactam tra
est voluntas Patris vestri caelestis, ut pereat ut
istis: Et hos partem regni sui Filius D
finite parvulos ad me venire: talium e
me Christum per piam precationem Et
afferuntur) est regnum caelorum. Fu
Filiolus verè ex numero infantium Et
parvulorum Christo oblatorum. Qua
quod, Parentes optimi Et maestissimi, vo
Est quidem inhumanum, nihil interitu
mo veri, est inhumanum, est Cyclopicum
tus insita pectoribus ^{scilicet} in parentibus
gnum dolorem Et acere desiderium in
cient: non tamen imitandi sunt ij, qu
Plutarchus undiq; dolendi occasionem
rit: sed illud Jobi: Dominus dedit, Don
lit: sicut Domino placuit, ita factum est
Domini benedictum. Cogitabitis: filiolu
strum non mortuum esse ante diem: s
nullus ascriptus erat dies, vel prescriptu
abeuntem celeriter secutus, exspectante
est: nec fortuito abijisse, sed ejus clementia
guine ab omni peccato mundatus fuit, in
leste elevato, in cena illa magna assid
cubum esse conivitam: adeoq; exturbis
ex miseria rñ valle in omnibus bonis per
fluentem Paradisum e vectum. Quid

